



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Distinctio decimanona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

quam per precedentia merita, nec tamen propter hoc frustra passus est, quia actio charitatis qua quis meretur non est principaliter propter primum, sed propter bonum charitatis qua deus summe diligitur, unde homo habens charitatem operaretur quae sunt dei etiam si nulla retributio sequeretur, meruit ergo Christus sibi ipsi. Meruit etiam nobis quoad participationem fructus sui meriti, sed non ita ut actus eius meritorius imputaretur nobis ad meritum: sed solum fructus communicaretur. Argumentum autem procedit de imputatione.

Ad secundum dicendum est quod cum meritum non consistat in habitu, sed in actu, ideo licet Christus tempore passionis non habuerit aliam vel maiorem charitatem quam prius, quando tamen habuit actum potuit aliquid mereri & alio modo & forte ampliori modo, quia satis durum videtur quod multiplicatio actuum meritoriorum supposita aequali charitate non sit amplius meritoria quam vnus solus actus.

Sententia huius distinctionis decimae nonae
in Generali & Speciali.

NVNC igitur quaeramus. Superius magister determinauit de merito Christi secundum quod ordinatur ad consecutionem boni sibi & nobis. Hic determinat de ipso secundum quod ordinatur ad remotionem mali in nobis, ipse enim in se nec subditus fuit culpae, nec debitor poenae. Et diuiditur in duas. Primo ostendit a quo sumus liberati per passionem Christi. Secundo determinat de causa passionis dist. 20. ibi, Si verò quaeritur. Prima est principalis lectio. Et diuiditur in duas. Primo ostendit a quibus malis Christus nos liberauit. Secundo de his quae dicuntur de Christo ratione huius liberationis ibi, unde dicitur. Prima in tres. Primo ostendit quomodo per praedictam passionem liberati sumus a malo culpae & a potestate insurgantis ad culpam scilicet daemonis. Secundo ostendit quod hoc non poterat esse nisi per deum & hominem ibi, factus est homo. Tercio determinat de liberatione a poena ibi, A qua poena temporalis. Secunda pars principalis, unde & ipse, diuiditur in tres. Primo ostendit per hanc liberationem quod Christus debet dici redemptor. Secundo quod debet dici mediator ibi, qui solus dicitur. Tercio ostendit secundum quam naturam dicatur mediator ibi, unde & mediator. Haec est sententia & diuisio lectionis in generali.

2. **I**N Speciali sic procedit, & proponit primo quod per mortem Christi sumus liberati a peccato & principaliter a diabolo per consequens in quantum sumus per Christum iustificati quod tripliciter apparet. Primo quia per mortem Christi charitas in cordibus nostris excitatur, per quam iustificamur, & a peccatis liberamur, & per consequens a diabolo qui per peccatum vincit nos tenebar. Secundo per fidem mortis eius a peccatis mundamur & iustificamur, sicut enim aspicientes serpentem aeneum in ligno sanabantur, sic cum per fidem in Christum aspiciamus qui pro nobis in ligno pependit a peccato soluiamur, & a diabolo liberamur. Tercio quia Christus sua morte offerens verum sacrificium culpam destruxit per quam nos diabolus ligatos tenebar, & eius potestate in tantum debilitauit quod licet tentari possimus, non tamen sine sponte nostra superari. Quod patet in Petro qui ante mortem Christi Christum ad vocem ancillae negauit. Postea vero ante Reges & Praefides ductus non timuit. Quod per plures auctoritates & parabolas euangelii de forti armato ostendit. Postea dicit qualiter nos a diabolo liberauit dicens quod Deus factus est homo ut per mortem eius diabolus vinceret qui ante hominem superauerat. Et sic non violenter, sed iuste eum vicit, dignum erat, ut qui naturam humanam assumpserat per eam per quam primo diabolus deuicerat vinceret. Postea dicit quod Christus nos a poena aeterna & temporalis liberauit siue redemit, ab aeterno quidem relaxando debitum, & a temporali nos etiam liberauit infundendo gratiam. Addit etiam quod poenam peccatorum nostrorum portauit in corpore suo, quia omnis culpa quae debetur homini pro peccatis deletur in baptismo totaliter, & in sacramento poenitentiae diminuitur, unde concludit quod filius dicitur noster redemptor secundum diuinam naturam pro viuentis & secundum humanam pro effectu hu-

ilitatis, dicitur etiam mediator noster, quia per ipsum reconciliari sumus Deo patri. Postea quaerit, cum tota trinitas delectat peccata, quare solus filius dicitur mediator. Et respondet quod hoc est quia secundum humanitatem illa opera in se suscepit quorum fide & imitatione reconciliamur & secundum quam naturam habuit aliquid commune Deo, scilicet iustitiam, & aliquid commune hominibus, scilicet mortalitatem quam mediatori congruat. Ex quo confunditur error dicentium in Christo esse tantum vnā naturam scilicet humanam.

QUESTIO PRIMA.

Vtrum per passionem Christi sumus liberati ab omni peccato.

Tho. 3. q. 49. ar. 1.

Circa distinctionem istam primo quaeritur, vtrum per passionem Christi sumus liberati ab omni peccato. Et videtur quod non, quia nullus est damnatus nisi pro peccato mortali, sed post passionem Christi multi damnati sunt, igitur per passionem Christi non omnes sunt ab omni peccato liberati.

2. Item quod non est, deleri non potest, sed peccata mortuorum precedentium non erant tempore passionis Christi, sed iam transierant, peccata etiam multorum sequentium nondum erant, ergo talia non fuerunt per passionem Christi delata.

3. Item posita causa sufficienti, nihil aliud requiritur ad effectum inducendum, sed post passionem Christi adhuc multa alia requiruntur ad remissionem peccatorum, ergo passio Christi non fuit causa sufficientis remissionis eorum.

4. **I**N CONTRARIUM est quod dicitur Col. 2. viuificauit nos in illo donans nobis omnia delicta, & Apoc. 1. dilexit nos, & lauit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

5. **R**ESPONSI O. Circa questionem istam duo sunt videnda. Primum est an per passionem Christi liberemur ab omni peccato quoad culpam. Secundum est, an liberemur ab omni peccato quoad poenam. Circa primum sunt adhuc duo videnda. Cum enim liberare a culpa vel delere culpam dicatur aliquid dupliciter. scilicet formaliter & effectiue sicut tenebra delet lumen & sol, ideo primo videtur per quid formaliter deletur peccatum, & secundo per quid effectiue.

6. Quantum ad primum dicitur communiter quod peccatum mortale deletur formaliter per gratiam, cuius ratio est, quia priuatio deletur formaliter per habitum oppositum sicut tenebra per lumen, sed gratia opponitur peccato mortali sicut habitus priuationi, ergo peccatum mortale deletur formaliter per gratiam, hoc autem dictum commune si intelligatur sic quod peccatum & gratia opponantur directe & per se sicut priuatio & habitus non habet veritatem, si autem intelligatur quod opponantur concomitantie veritate habet. Primum patet quadrupliciter. Primo sic, habitus & priuatio respiciunt idem subiectum immediatum, sed gratia & culpa saltem actualis mortalis non respiciunt idem subiectum immediatum, ergo non se habent per se & directe ut habitus & priuatio. Minor probatur, quia gratia habet pro immediato subiecto vel essentiam animae vel voluntatem, culpa autem actualis mortalis habet pro immediato subiecto actum voluntatis, quare &c. Secundo sic, priuatio primae perfectionis habet rationem poenae & non culpae, ut dictum fuit in 2. lib. sed priuatio gratiae cum sit quaedam forma & habitus & priuatio primae perfectionis, ergo talis priuatio non est culpa, sed poena. Tercio sic, habitus & priuatio contradicunt sibi circa primum subiectum, ita ut necesse sit alterum eorum semper inesse nobis, ergo gratia & culpa non opponuntur ut habitus & priuatio. Minor declarat, quia si homo crearetur in puris naturalibus non haberet gratiam nec culpam. Quarto sic, vni habitui secundum speciem non opponitur nisi vna priuatio secundum speciem, quia ratio priuationis sumitur ab habitu, sed gratia gratum facies est habitus vnus secundum speciem, peccata autem mortalia sunt plura & plurium rationum, ergo non omne peccatum mortale opponitur gratiae sicut priuatio habitui, quae autem ratione vni non opponitur, eadem ratione nec quodam

cunq

cumq; aliud, cum omnia sunt æque incōpossibilia gratiæ, ergo peccatum mortale non opponitur gratiæ per se & directè sicut priuatio & habitus, nec per consequens gratia debet culpam formaliter & directè. Si autem ista oppositio intelligatur concomitantiu sic veritatem habet dictum commune.

7 Ad cuius euidentiã sciendum est q̄ circa peccatum mortale actuale est tria considerare, scilicet culpã quæ est voluntaria inordinatio actus saltè quantum ad peccatũ cōmissionis, & macula quæ est carentia gratiæ quæ ea ratione dicitur macula animæ quia gratia dicitur eius pulchritudo, dicitur etiam offensa: quia gratia solũ est ad amicum propter quod subtractio gratiæ dicitur offensa quali subtractio amicitia, est etiã ibi tertiò considerare reatum qui nihil aliud est q̄ debitum seu obligatio ad penam æternã. In peccato autè originali non contingit inuenire primum istorum, quia nõ consistit in aliquo actu nostro, tamen est ibi inuenire secundum & tertium scilicet carentiã gratiæ, & debitum pœnæ damni. In peccato autè veniali est inuenire primum scilicet deordinationem actus, & tertiu scilicet debitum pœnæ temporalis, sed non est ibi inuenire secundum: quia culpa venialis fiat cũ gratia, cum ergo nunc loquamur de remissione peccati quo ad culpam per gratiam, nõ loquuntur de remissione peccati venialis: quia cum eo fiat gratia, nec peccati originalis: quia in eo nõ est culpa prout nunc loquimur de culpa scilicet, quæ est deordinatio actus, sed loquimur de remissione peccati actualis mortalis. Constat autè quod culpæ acceptæ pro inordinatione actus opponitur formaliter ordinatio actus, inordinatio autè actus nõ deletur per ordinationem superuenientem eidem actui, quia idem actus voluntatis nunquã est primò deordinatus, & postea ordinatus, si enim actus voluntatis est deordinatus per hoc q̄ aliquid illicitum placet voluntari, non reordinatur nisi per hoc q̄ illud quod malè placuit postmodum bene displicet. Non potest autè esse idem actus quo aliquid primò placet & postea displicet, propter quod nõ potest esse idè actus primò ordinatus & postea deordinatus, cessat autè talis deordinatio per cessationem actus, sed propter hoc nõ dicitur culpa dimissa vel deleta, alioquin ois cessans peccare esset liberatus à culpa præcedenti quod non dicimus, sed dicimus tunc culpam dimissam quando voluntas prius deordinata per malam cōsplacentiã reordinatur per bonã displicentiã quod fit in cōtritione. Et quia talem cōtritionem seu displicentiã concomitatur gratia: ideo culpa dicitur deleri formaliter per gratiã non per se & directè, quia hoc modo deletur culpa per nihil, sed solum concomitantiu, & sic patet primum scilicet per quid deletur formaliter culpa.

8 Per quid autem deleatur effectiue, aduertendum est q̄ causa efficiens est triplex. Vna principalis & perficiens quæ introducit principalem effectum ex virtute propria. Alia disponens materiã. Tertia instrumentalis quæ quandoq; similiiter disponit, si ergo loquamur de principali causa efficiente deletionem culpæ, sic solus Deus delet culpam: Quia ipse solus est qui infundit gratiã per quã culpa deletur formaliter modo quo dictũ est, ipse etiã mouet principiter voluntatẽ ad hoc vt bene ei displiceat quod ei male prius placuit, quod est præuium ad deletionem culpæ & gratiæ infusionem. Si autem loquamur de causa disponente, sic passio Christi est causa remissionis peccati. Quod patet, quia illud disponit hominẽ ad deletionem culpæ & receptionem gratiæ quod natũ est inclinare voluntatẽ ad dilectionem dei & detestationem peccati, sed passio Christi est huiusmodi, quia Christus ex maxima charitate pro nobis passus est, propter quod maxime tenemur eum diligere, & per passionẽ liberauit nos à debito mortis æternæ ratione cuius debiti peccatũ est maxime odibile, ergo passio Christi est causa disponens ad remissionem peccatorũ. Si autè loquamur de causa instrumentali, sic sacramenta maxime baptisimus & pœnitentia sunt causa remissionis peccati, quia sunt instrumeta diuinæ misericordie iustificantis, & sic patet primum principale qualiter passio Christi sit causa remissionis peccati quoad culpam.

9 Quantum ad secundum principale, scilicet de remissione peccati quoad pœnã. Dicedum est q̄ per passionem Christi fuerit omnes liberati ab omni pœnã peccati quo

ad iusticiam, sed non quoad efficientiã, hoc est autem q̄ passio Christi fuit satisficiens ad liberandum omnes ab omni pœnã peccati, sed nõ habuit hunc effectũ in omnibus. Primum patet, quia exhibitã sufficienti satisfactio nõ tollitur reatus pœnæ, sed passio Christi fuit satisficiens & superabundans satisfactio pro peccato totius generis humani, ergo per passionem Christi sufficienter sublarus est omnis reatus pœnæ cuiusq; peccato debite. Maior patet. Minor declaratur, quia ille proprie satisfacit pro offensa qui exhibet offenso illud quod æque vel magis diligit q̄ odiat offensam, sed Christus ex charitate & obedientia patiẽdo exhibuit deo aliquid magis gratũ q̄ exigeret recompensatio offensæ totius humani generis. Primum quidem propter magnitudinẽ charitatis ex qua patiebatur. Secundo propter dignitatem vitæ suæ quã pro satisfactioe ponebat quæ erat vita dei & hominis. Tertio propter generalitatẽ passionis & magnitudinẽ doloris, vt supra dictũ fuit, di. 17. q. 3. & ideo passio Christi fuit satisficiens, imò superabundans satisfactio pro peccatis totius humani generis secundum illud. 1. Ioan. 2. Ipse est propitiatus pro peccatis nostris, nõ pro nostris autem ratum, sed etiã pro totius mundi, & sic patet, q̄ per passionem Christi liberamur à pœnã peccati quantum ad sufficientiam.

10 Secundum patet q̄ non omnes liberamur quantum ad efficientiã. Primum, quia Christus satisfacit pro nobis, tanq̄ caput pro membris, ergo illis solum est passio Christi satisfactoria qui vniuntur ei tanquã membra capiti, hoc autem fit per fidem, & charitatem, & sacramentorũ susceptionem, per quem modum nõ omnes vniuntur Christo sed pauci, ergo passio Christi non est pro omnibus satisfactoria quantum ad efficientiã. Secundo, quia manente culpa nõ tollitur reatus pœnæ, sed culpa manet in omnibus qui non vniuntur Christo vt membra capiti, quare in oibus talibus remanet reatus pœnæ, qui autè vniuntur ei vt membra capiti percipiunt remissionem pœnæ æternæ ex vi passiois Christi secundũ modũ vniõis qui est duplex. Vnus per sacramentalem conformitatẽ in susceptione baptismi in quo consepulti sumus cũ illo per mortẽ, Ro. 6. Et quia hoc solũ operatur virtus diuina quæ inefficaciã nescit, ideo in baptisimo ex vi passionis Christi cui sacramentaliter cõformamur, remittitur ois pœnã debita cuiusq; peccato originali, actuali, mortali, & veniali.

11 Alius autè modus vniõis est per realem imitationem quãdo. i. ad similitudinẽ Christi patimur, & hæc imitatio, vel potest esse perfecta quantum ad genus pœnæ vt in martyrio, & sic adhuc remittitur omnis pœnã, nõ solum ex vi martyrii, sed potius ex communicatione passionis Christi. Nam multi meruerunt multo maiorem pœnã quã sustinuerunt in vno martyrio, vel potest esse perfecta non quidem per cõparationem ad passionẽ Christi, & quoad genus pœnæ, sed per cõparationem ad culpam cõmissam, & tunc adhuc totaliter tollitur reatus siue hoc fit in cõtritione, siue in exteriori passione quæ tamen multo minus sufficit cooperante satisfactioe passionis Christi q̄ esset condigna peccato secundũ se. Quando autem nõ est perfecta imitatio aliquorũ dictorum modorũ, remanet obligatio ad aliquã pœnã siue hic, siue in purgatorio, quia nõ tollitur totus reatus pœnæ propter defectũ conformitatis perfectæ, semper tamen per quamlibet conformitatem tollitur reatus pœnæ debitus peccato originali, non quidẽ vt statim natura reparatur nisi quoad gratiã quæ est necessaria ad salutẽ, sed in generali resurrectione quãdo creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorũ dei, vt dicitur Ro. 8. ergo per passionẽ Christi liberamur à peccato quoad culpã & quoad pœnã ois quidem secundũ sufficientiã, sed nõ secundum efficientiã. Et quia ingressum regni cœlorũ nihil prohibet nisi peccatũ, propter quod dicitur claudi hominibus ianua regni cœlorũ, ideo sicut per passionẽ Christi liberamur ab omni peccato sic per eãdem dicitur nobis aperiri ianua regni cœlorũ quod figuratũ fuit in lege veteri, quia sine sanguine nõ fiebat remissio peccatorũ, nec erat ingressus in sancta sanctorum vt dicit Apost. ad Heb. 9.

12 Ad primũ arg. dicendũ q̄ nulli dānantur nisi illi quẽ nõ sunt participes passiois Christi, quia nõ vniuntur Christo per fidẽ & charitatẽ, nec illud arguit inefficaciã passionis Christi, sed indispositionem peccantis.

13 Ad secundū dicendū q̄ peccata patrū precedentū passionē Christi fuerunt remissa virtute passionis Christi, nō quidē exhibita, sed creditā, sicut enim dictum fuit passio Christi est causa remissionis peccati quoad culpam inquantū inclināt animū ad dilectionē Dei & detestationem peccati, quod potest facere credita, sicut & exhibita, sed dimissio peccati quoad penā totalem fuit per passionem Christi actu exhibitā, & ideo talem remissionem nō receperunt ante passionē Christi, vnde omnes descendebant in lymbum, vel in purgatoriū. Peccata autē sequentium passionem Christi per eam fuerunt dimissa quoad sufficientiam in omnibus nō autem quoad efficientiam, & hoc modo potest peccatum dimitti antequam sit, sicut potest parari medicina quæ sufficiens est expellere vel sanare morbum etiam in futurum.

14 Ad tertium dicendum q̄ passio Christi fuit vniuersalis causa remissionis peccatorum quā oportet applicare ad singulos ad hoc vt in eis fortietur suum effectum, quæ applicatio fit per fidem, & charitatē, & sacramentorum susceptionem, propter quod talia non superfluent.

QVÆSTIO SECUNDA.

Vtrum propter liberationē nostrā factam per passionē Christi dicatur redemptor noster.

Tho. 3. q. 48. art. 4. c. 5.

SECUNDO queritur, vtrum ratione talis liberationis Christus possit dici redemptor. Et videtur quod non. Quicquid redimit aliquid soluit pretium ei qui possidebat, sed Christus non soluit sanguinem suum qui dicitur pretiū nostræ redemptionis diabolo qui nos captiuos tenebat, non ergo Christus nos sua passione redemit.

1. Itē nullus redimit iuste aliquid ab aliquo q̄ nō desit suum esse, sed homo per peccatum nō desit esse sub potestate Dei, ergo videtur q̄ non fuit redemptus.

2. **IN** Contrarium est quod dicitur Petri. Non corruptibilibus &c. sed precioso sanguine quasi agni immaculati, incontaminati Christi. Et Apoc. 5. Redemisti nos Deus in sanguine tuo.

3. **RESPONSIO.** Dicenda sunt duo. Primum est quod Christus ratione liberationis nostræ à peccato potest dici redemptor noster & mediator. Secundum est quod vtrumque est proprium Christo secundum humanam naturam.

4. Quod possit dici redemptor patet sic, satisfactio qua quis satisfacit pro peccato suo vel alieno dicitur pretium quo redemit se vel alios à peccato seu pœna peccato debita, secundum illud Dan. 4. Peccata tua elemosynis redime. Christus autē satisfecit pro peccatis nostris nō quidē pecuniā dando, sed dando seipsum morti & passioni pro nobis, ergo passio Christi potest dici pretiū & redemptio nostra, & Christus passus dicitur redemptor noster.

5. Quod etiam possit dici mediator patet ex eodē, officium enim mediatoris est reconciliare inimicos & discordantes, sed per Christū reconciliati sumus Deo à quo per peccatum discordabamus & cuius eramus inimici, ergo Christus est mediator inter nos & Deū. Maior patet. Minor declaratur ratione & autoritate. Ratione sic, per satisfactionē reconciliatur offendens offensā, sed Christus per passionem suā satisfecit pro nobis vt patet ex prædictis, ergo nos Deo reconciliauit. Idem patet autoritate Apost. Ro. 5. Cum inimici essemus Deo reconciliati sumus per mortem filij eius. & Col. 1. In ipso complacuit omnē plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipso pacificans per sanguinē crucis eius, siue quæ in celis, siue quæ in terris sunt, & sic patet primum.

6. Secundum scilicet q̄ esse redemptorem & mediatorem sit proprium Christo secundum humanā naturam, patet. Primum q̄ sit redemptor secundum eam, Quia Christus est redemptor noster inquantū pro nobis satisfecit, sed satisfecit pro omnibus patiendo secundum humanam naturā, ergo secundum eam est redemptor noster, & hoc est quod dicit Apost. ad Galat. 3. Christus nos redemit de maledictō legis factus pro nobis maledictū. Iuxta quod aduertendum est q̄ ad hoc quod aliquis redimat duo requirantur, scilicet actus solutionis, & q̄ pretiū quod non est suum, sed alterius, talis non dicitur redimere principaliter, sed magis ille cuius est pretium. Pretium autem no-

stræ redemptionis fuit sanguis Christi, vel mors eius quam ipse Christus exsoluit, & vtrumq̄ istorū pertinet ad Christum immediatē inquantum homo est, quauis ad totam trinitatem pertineat sicut ad causam primā cuius erat vita & mors Christi sicut primi actoris, & qua trinitas inspirata fuit homini Christo passio eius pro nostra redemptione, & ideo esse proprium & immediatum redemptorem conuenit tantum Christo inquantum est homo, quauis possit attribui toti trinitati sicut primæ causæ. Quod etiam sibi soli secundum naturam humanam proprie conueniat esse mediatorem. patet ex eodē, quia Christus est mediator inquantum reconciliauit nos deo per mortem suam vt patet ex dictis, sed mortuus est secundum naturā humanam, & nō secundum diuinā, ergo secundum eam conuenit eum esse mediatorem.

7. Ad primum arg. dicendum quod per peccatum homo erat principaliter obligatus Deo quoad penam, quia in Deum principaliter deliquerat, sed erat obligatus diabolo tanq̄ tortori cui iuste Deo permittente traditus fuerat, pretium autem redemptionis debet solui principali, non mediatori, & ideo Christus mortem suam tanquam pretium nostræ redemptionis exhibuit Deo patri ad reconciliationem nostram & non diabolo.

8. Ad secundum dicendum est q̄ homo dicitur esse dei dupliciter. Vno modo inquantum subiicitur eius potestati, & hoc modo nāquam desit homo esse homo dei. Alio modo per vniōnem charitatis ad eum secundum illud Ro. 8. Si quis spiritum Dei non habet, hic non est eius, & hoc modo desit homo esse dei per peccatū, propter quod homo inquantum fuit à peccato liberatus Christo passio & satisfaciēte, dicitur per passionem Christi esse redemptus.

Sententia huius distinctionis. X X. in generali & speciali.

SI verò queritur vtrum Deus Superius determinauit Magister quomodo per passionem Christi liberamur à malis. Hic determinat de causis passionis. Et diuiditur in duas. Primo enim assignat causā cōgruentiæ passionis Secundo efficaciam ipsius, Christus ergo sacerdos. Prima in quatuor. Primo assignat causam congruentiæ passionis ex vilitate nostra. Secundo ex decencia iustitiæ ibi, est autem alia ratio. Tertio prosequitur iustitiæ ordinem ibi, sed qua iustitia. Quarto ostendit quod isto ordine pretermisso potuit hominem liberare ibi, si enim tres. Secunda pars principalis, Christus ergo sacerdos. Diuiditur in tres. Primo determinat de causa efficiēte passionis quantum ad opus operā. i. quantum ad ipsam operationē causæ efficientis. Secundo quantum ad opus operatū ibi, passio ergo Christi. Tertio mouet quādam dubitationē & soluit ibi, cum autem passio. Hæc est diuisio &c.

1. **IN** Speciali sic procedit, & proponit primo quantum quaeritur vtrum Deus potuit genus humanū saluare aliter q̄ per mortem Christi, & respondet quod sic, sed iste modus fuit conuenientior. Quod ostendit primo ex nostra necessitate, quia per hoc mens nostra magis in Deum erigitur & ad eius amorē excitatur. Postea ponit aliam causam quæ sumitur ex dei iustitia hoc enim modo Christus diabolum nō expoliavit, sed ex iustitia superauit, homo enim per peccatum deo permittente potestati diaboli subditus erat, nec tamen per hoc subtractus est à dei potestate, quia nec diabolum quantum ad dona naturalia alienus exiit à dono ipsius, per Christi autem passionem & iustitiā diabolum victus est, & homo à potestate eius ereptus. Postea declarat modum & ordinē secundum quem diabolum victus est, & dicit q̄ diabolum procurauit Christum occidi in quo nulla erat causa mortis, & ideo iustum fuit vt in omnem in Christum credentes diabolum perderet potestatem. & licet diabolum porerit vinci per potestati, magis tamē decuit vt per iustitiā vinceretur, quia ipse est impugnator iustitiæ, vt nos Christum in iustitia imitemur. Postea dicit alium modum liberationis fuisse possibile, sola enim dei misericordia homo potuit liberari, cum deus super hominē & diabolum habeat plenariam potestatem, nec diabolum habeat aliquod ius detinenti hominē. Postea dicit q̄ Christus fuit causa efficiēs nostræ redemptionis, inquantum ipse qui est summus sacerdos,